

De partu praemature : dissertatio anatomico-chirurgica : hanc dissertationem, Deo juvante, & praeside Magistro Thibaldo-Stephano Lauerjat ... / tueri conabitur Joannes-Antonijs Le Maitre, dissertationis auctor.

Contributors

Le Maitre, Jean Antoine.
Lauerjat, Theodorus Stephanus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bvbepetq>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16.

DE PARTU PRÆMATURO
DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA.

*HANC Dissertationem, Deo juvante, & Præside Magistro
THIBALDO-STEPHANO LAUVERJAT, Artium liberalium
& Chirurgiæ Magistro, antiquo Legionis Lemovicensis Chirurgo
Primario, Regiæ Chirurgorum Parisiensium Academia Socio, &
in arte obstetricandi Professore, tueri conabitur JOANNES-
ANTONIUS LE MAITRE, Lupareus, præclaræ Facultatis
Artium Magister in almâ Universitate Parisiensi, & Chirurgiæ
in urbe Lupariis Magister, Dissertationis auctor.*

*Die Lune 30 mensis Decembris, anno R. S. H. 1782,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXII.

DE PARTU HUMANITURRO

DISSERTATIO

ANATOMICO-CHIRURGICA

... la... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..

PARTUS

IRREMI ...

PRO AACTO PUBLICO

MAGISTERIUM LAUREAE

...

THE MICHAELIS LAMBERTI, Regii Chirurgi
Collegii ...

M. D. C. L. X. X. I. I.



D. O. M.

DE PARTU PRÆMATURO
DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA.

HOMO suam existentiam, si communicaverit, jucundio-rem habet; innato quippè seipsum in filio reproducendi, geminum se contemplandi, aurisque dulci patris nomini præbendæ voto sollicitatur. Puram hanc naturæ cupidinem explet felix conjugis partus. Sed, heu ! Quoties immaturus imaginis exoptatæ deludet expectationem ! Quoties & vocatam sobolem, & uxorem deside-

A

ratam unico sternit ictu! Quoties proindè, hominis existencia nedùm grato producaturo incremento miserè dilaceratur! Advolet ergò præfens in auxilium ars falutaris. Hujus autem infortunii generis tot & tam variæ sunt causæ, ut in illis præcavendis removendisquæ maxima ab obstetricante sagacitas requiratur. Has omnes, sed Anatomix præviâ face, disceptaturi sumus.

E X A N A T O M I A.

GENITALES mulierum partes in externas & internas dividi solent. Ex prioribus aliæ, ut mons Veneris [in ætate nubili pilis ornatus], labra majora, eorumque commissuræ, fissura magna, & perinæum citrà ullam diductionem examinantium oculis sese præbent, & communi pudendi nomine indigitantur; aliæ verò, intet quas recensenda veniunt clitoris ejusque præputium, nymphæ, meatus urinaris, vaginæ orificium, fovea navicularis, membrana *hymen* dicta, nonnisi prædictarum dilatatione conspici possunt.

Internas inter generationis partes annumerantur vagina, uterus ejusque ligamenta, tubæ Fallopiantæ & ovaria. Supervacaneum foret singulas hæc partes sigillatim describere; de utero tantùm utpotè specialiùs rem nostram spectante dicere sufficiat.

Uterum dicunt viscus illud cavum vesicam inter & intestinum rectum in hypogastricâ regione situm, menstrualis fluxui interveniens, & in quo per totum gestationis stadium conceptionis productum continetur. Plura in utero notanda sunt: nempe figura, dimensio, partes, cavitas & structura.

Varia est ejus figura pro ætate & graviditatis aut vacuitatis statu. In mulieribus non prægnantibus piri antorsùm retrorsùmque complanati formam refert; in gravidis verò plus minusve sphericam adumbrat.

Non minores sunt dimensionum varietates, ità ut vulgatiores haud fermè assignare possimus; in puellis enim vix exprimitur, & nimium complanatur; in adultis mediocris ejus longitudo ab osculo usque ad fundum tres circiter digitos transversos aequat, spissitudo pollicem, latitudo circà fundum duos & semi digitos, circà collum duos digitos non excedit. In prægnañtibus verò ad tantam molem excrescere potest, ut modò extrà pelvim exurgat, sed ad umbilicalem & ferè epigastricam regionem extendatur, & intestina aliaque abdominis viscera fursùm comprimant. Absoluto autem partu propriâ suâ vi ad pristinum statum revertit.

Uterum Anatomici plures in partes dividunt; quarum una superiùs sita fundus nuncupatur, media corpus, infima collum vaginæ alligatum, & cujus extremitas antica os tinçæ dicitur. Duas facies, aliam anteriorem, posteriorem alteram; duoque latera, aliud dextrum; sinistrum alterum agnoscunt.

Tota uteri cavitas, cum ejus volumine congrua, tametsi unica, ab auctoribus bipartita est; una nempè utero propria, altera collo. Prior, licèt posteriori latior, fabam tamen majusculam in non gravidis vix continere potest. Ea probè considerata proximè ad triangularem figuram accedit, nisi quod angulus versùs collum longior sit; alii duo anguli in fundo existentes utrinque à tubis Fallopiæ exiguo foramine perforantur. Hujusce cavitatis tunica cuticulæ continua levis est & exiguis porulis pervia, ex quibus mucosus quidam humor continuò, sed modicà quantitate, exsudat. Prætereà aliis etiam ductibus perforatur, ex quibus menstruorum tempore sanguis profluit.

Colli uterini cavitas oblonga est & in utrâque suâ extremitate angustior quàm in mediâ parte. Variæ in illâ rugositates, aliæ transversim, aliæ secundùm longitudinem sitæ videntur.

Eadem investitur membranâ, iisdem ductibus & porulis ac uteri cavitas pertunditur. Osculum ejus in vaginæ capacitate proeminens, tincæ piscis ori persimile, transversim situm, in virginibus est exiguum; sed in mulieribus quæ sæpè pepererunt majus evadit.

Uterus, si attentè intima ejus structura consideretur, duabus membranis, copioso textu cellulari, vasis tùm sanguiferis, tùm lymphaticis, fibris muscularibus nervisque conflari videtur.

Ex membranis alia externa à peritonæo subministrata faciem ejus externam circumtegit, seque in se ipsam reflectendo plura ligamenta producit. Alia interna, de quâ jam diximus, cuticulæ est continuatio.

Textus cellularis, extrâ graviditatem strictior, in prægnatione autem multò laxior, ferè totam uteri parietum crassitiem constituit.

Vasa uterum excurrentia in arterias & venas distinguuntur. Arteriæ ab aortâ internisque iliacis originem trahunt: priores spermaticæ dictæ nascuntur infrâ emulgentes, à quibus obliquè ad ovaria directæ, ibique distributæ non secùs ac in tubis Fallopianis, indè uteri fundum petunt. Posteriores uterinarum nomine donatæ & numerosiores ad corpus uteri serpentino ductu præcipuè distribuuntur; eas inter se & spermaticas per anastomoses connecti injectio demonstrat.

Arteriarum viam venæ sequuntur eademque sortiuntur nomina. Quæ spermaticas comitantur corpus pampiniforme exhibent haud aliter ac in homine, & ad latus dextrum in venam cavam, ad sinistrum verò in emulgentem exoneratum se procedunt; quæ autem sanguinem referunt ab iliacis arteriis subministratum in venas iliacas sese exonerant.

Præter hæc sanguifera, alia extant privati generis vasa, seu

potiùs cavernæ species ab Anatomicis sinus dictæ, intrâque substantiam textûs cellularis extructæ. Sanguinem ab arteriis recipiunt eumque in venas defundunt. Ex illis peculiare alii ductus in utero dehiscens menstrualem fluxum emittunt, gestationisque tempore mediante placenta fœtui succos nutritios subministrant. Uteri sinus, splenis cavitatibus haud malè assimilati, certis vitæ temporibus, v. g. mensium & graviditatis, augeri possunt. Tertio prægnationis mense jam satis dilatantur ut calami scriptorii tubum recipiant; at versùs finem tanta est eorum capacitas ut pollicis extremitatem admittant; canales verò ab ipsis oriundi extremitatem minimi digiti.

Lymphaticorum alia mesenterium rectâ viâ petunt, alia venas iliacas comitantur.

Nervi multiplicem habent originem. Alii autem à sympathico majori, alii à duabus ultimis lumbaribus, alii denique à primis paribus sacris oriuntur.

Quamvis Anatomici plures, inter quos *Lieutaud* [1], muscularium fibrarum existentiam negaverint, asserere liceat, nobis cum hujusce Collegii meritissimo Magistro *Andravi* uteri structuram in muliere recens partâ scrutantibus, sensibiles sese prodere fasciculos multos fibrarum muscularium, quarum exteriores utramque supra faciem à fundo ad collum extensæ; aliæ lateralibus partibus sitæ tubarum circa principium parabolam simulantes, versùsque collum tendentes; aliæ in fundo sub nomine uterini muscoli à *Ruischio* descriptæ; ex quibus nonnullæ supra tubas ipsas sese protendunt; aliæ tandem collum circumvallantes apparuere.

(1) *Anatomie Historique*, pag. 314.

Tubæ Fallopianæ , uteri appendices , è quocumque hujusce visceris angulo superiori nascentes , indèque plus minusve transversim sitæ ovaria versùs procedentes , duo sunt flexuosi ductus , (utrinque unus) in orâ superiori latorum ligamentorum inclusi , in principio admodùm exigui , vixque stylum admittentes , pedetentim verò lacescentes rursùs coarctandi , & in extremâ parte fimbriarum in modum dehiscentes. Tubarum longitudo septem vel octo digitos transversos adæquat. Pars illarum fimbriata , & in abdomine libera vexillum dicitur. Iisdem tubæ ac uterus involvuntur membranis , eâdemque structurâ gaudent , nisi quod sinibus careant.

Quatuor præcipua in utero ligamenta numerari solent , lata duo , duoque rotunda. Priora ex duabus peritonæi plicaturis conflata ab uteri collo ad fundum usque protenduntur , adhærendo hinc partibus lateralibus , & indè pelvis lateribus quem in duas cavitates dividunt , unam anteriorem , posteriorem aliam. Ora superior in duo foliola dividitur , quorum unum proeminens , altero latius & superius , in suâ crassitudine tubam Fallopianam includit ; alterum verò posteriùs , strictiùs , humiliùsque situm , ovarium complectitur. Ad id inserviunt ut stabilem uterum faciant , seu impediunt ne ad dextrum aut sinistrum vacillet , ipsique involucrium suppeditant membranofum dilatationis tempore ; quo circâ tunc deprimi & ferè annihilari videntur.

Quæ rotunda dicuntur non sunt ligamenta , sed reverà funiculi species à peritonæo producti , & in quibus vasa tùm sanguifera , tùm lymphatica , nervique includuntur. Originem ducunt ab uteri fundi lateribus , hinc obliquè ab alto ad imum descendunt , annulosque prætergressi ad partem cruris superiorem pudendumque tendunt.

E X P H Y S I O L O G I A.

GENERATIO dicitur illa functio quâ quodcumque animal sui simile procreat. Hæc, in humanâ præsertim specie, mutuo concursu, sexûsve utriusque copulatione peragitur. Ejusmodi copulatio coitûs nomen accepit, proximusque ejusdem effectus conceptio audit (1). De generationis mechanismo parum inter se conveniunt Physiologi. Alii enim hominem ab ovo, alii, & numerosiores, à sexûs utriusque feminis commixtione productum esse existimaverunt, &c.

Ut ut sit, copulatione vix peractâ, conceptio graviditatis nomine donatur: quæ quidem à nonnullis improprie definitur tumor abdominis procedens à contento fœtu in utero; quippe cum primis graviditatis temporibus nulla adsit abdominis intumescencia. Rectius itaque, nostro sensu, definiretur præsentia fœtûs in matris sinu.

Graviditatem omnes ferè Auctores in veram & falsam dividunt. Veram dicunt quæ à fœtûs aut fœtuum præsentia, & falsam quæ à corporibus extraneis in utero efformatis pender. Prava & vitiosa illa divisio, solusque fœtus graviditatem constituere nobis videtur; sed pro vario loco in quo ipse continetur varia graviditas: nempe optima vel prava; optima cum fœtus in propriâ uteri cavitate vivens existit; prava verò quandò fœtus in utero periit, & quandò licet vivens in aliâ parte existit, v. g. in ovario, aut in tubâ Fallopiânâ. Duæ igitur graviditates prava: alia uterina, alia erronea seu loci errore dicitur. Ultima

(1) Conceptum appello primam ex mare ac fœminâ mixturam. *Aristoteles, de generatione Animalium, lib. 1, cap. 20.*

à parte in qua jacet nomen accipit. Sic ovariana vel tubaria nominatur quandò in alterutrâ parte reperitur.

Statim atque germen fœtale fœtusve & ejus secundinæ uterum habitant, sensim ac sine sensu adaugentur dilatantiumque modo in ejus parietes agunt, sed ipsi parietes non nisi cum majori minorive resistentiâ cedunt. A contentis tamen vulgò vincitur eorum resistentia, tuncque ab initio ad finem usque cursum pacatè suum graviditas percurrit.

E X C H I R U R G I A.

ACCIDENTIBUS autem graviditate turbatâ, vel perit embrio, & tunc secundinæ, si remaneant in utero magisque vel minùs crescere pergant, in varias protenduntur moles carnosas aut vesiculares quibus nomen spurium germen & mola, vel conceptionis productum, servatâ germinis formâ, præmaturè expellitur. In posteriori casu si septem octove primis qui conceptionem sequuntur diebus, accidat germinis evacuatio, cum tunc temporis nihil compactum existat, dicitur *effluxio*, id est feminis fluxus; ad finem usque primi mensis *expulsio*; & à secundo mense, cum scilicet omnes fœtûs partes inchoatæ sunt, ad septimum usque, *abortus* [1], *partus præmaturus*, & gallicè *fausse couche*.

Itaque abortus seu partus præmaturus nihil aliud est quàm expulsio fœtûs ab utero antè præscriptum à naturâ limitem, & præsertim antè statutum temporis articulum quo jam satis ro-

[1] Sed fœmina verè prægnans, si aut longè, aut brevi antè septimum mensem fœtum emittat, vel minimum, is mihi dicitur partus præmaturus si abortus. *Deventer, cap. xxxiiij, pag. 148.*

bustus est ut post ortum vivere pergat. Tot sunt & tam variæ causæ quæ abortum provocare possunt, ut, si methodicam velimus thesæos expositionem, eas in internas & externas dividere operæ pretium sit.

Externas constituunt ictus, lapsus, compressiones & violenti nisus, saltus & saltatio, immoderati risus, equitatio nimia, durioris vecturæ succutiones, gravis odor, vapores mephitici, fragor inexpectatus, qualis fulminis & tormenti bellici explosio, coitûs abusus; omnia quibus afficitur animus, & ejus pathemata provocantur, irritamenta, tandemque sanguinis missiones inconsultæ, balneorum aliorumque remediorum relaxantium, necnon purgantium abusus.

Ex causis abortûs internis aliæ sunt matri propriæ, aliæ fœtui, aliæ denique ad funiculum umbilicalem, secundinasque pertinent. Quæ matrem spectant, generales sunt vel particulares, id est, vel machinam totam, vel machinæ partem duntaxat, afficiunt.

Quæ totam impugnant œconomiam sunt omnes morbi, tum acuti, tum chronici, quibus fœmina prægnans est obnoxia; convulsiones; animi pathemata, ut immoderatum gaudium, tristitia, subiti terrores, ira; mollior vel gravior mulieris ætas, tenuis corporis constitutio, diuturnæ lucubrationes, immodica jejuniâ, plethora cujuscumque sit speciei.

Affectiones particulares quæ ansam abortui præbere possunt, cogita pulmonum, gastrici, intestinorum, vesicæ, uteri, &c. affectiones; hinc obfirmata convulsivaque tussis, vomitus frequens, suis concussibus placentam avellunt & uterinam pariunt hæmorrhagiam; uteri contractionem promovent pungentes renum dolores, tenesmus intestinaliaque tormina. Matrem exinanit diarrhæa, exhauritque fontes ex quibus parvulo alimenta

decurrunt. Vesicæ morbi, puta ipsius inflammatio, urinæ retentio, &c. vel in uterum transeunt, vel ipsam comprimunt.

Uteri dispositiones aut morbi qui abortûs causæ censeri debent, sunt sensibilitas, irritabilitas, & tensio ipsius fibrarum quæ flecti & expandi nesciæ sunt, colli fibrarum relaxatio, vasorum obstructio, scirrhus, carcinoma, hydrops, menstruorum insolita & immodica effluxio, fluxus albus, uterinæ hæmorrhagiæ, quæ omnia collum retendunt & expandunt; polyposi tumores, extraneaque corpora, v. g. spurium germen & mola.

Funiculus umbilicalis aut intercludi potest, aut fœtus membra pluribus complecti circulis, ex quibus ipsius compressio nascitur, vel ruptura si sit exilior; si verò brevior, secundinas hinc & indè trahit nimiùmque divexatas avellit.

Ex nimio secundinarum volumine, scirrhusove, aut varicoso statu, avulsione, adhæsione cum orificio interno vel partibus vicinioribus uteri, effectus idem sequetur. Cæterùm ex his omnibus causis aliæ dispositivæ sunt, aliæ determinantes.

Inopinatò quandòque patescit abortus, nullâ indicatâ causâ, nullo præcurrente symptomate, quandòque magis minùsve prænuntiatur mammaram imminutione, depressione ventris, dolorumque moficulis versùs renum lumborumve & uteri regionem; molestâ abdominis & præsertim podicis gravedine; aquarum, sanguinis aut putridæ fæcis per vulvam emissionem; urinæ incontinentiâ vel retentione, &c.

Continui fiunt postea dolores, acriùsque mordent; tenuescit & deletur uteri collum quod priùs dolens erat & solito crassius; ipsius dehiscit orificium; crescit hæmorrhagia & sæpiùs terribilem in modum; aurium tinnitu fœmina sollicitatur; crebra patitur animi deliquia; convulsionibus agitatur; gelidus

toto manat corpore sudor; miserèque perit, nisi præsens ad-
volet auxilium.

Abortus ipse vera calamitas æstimatur, quæ vulgò parvuli, sæpiùs matris vitam in periculum adducit. Rarò equidem quin-
quimestres aut sextimestres fœtus vitam trahere possunt. Obser-
vatione constat id mali genus frequentius inirio prægnationis
ingruere quàm alio quocumque tempore, & sæpiùs in recen-
ter nuptas lascivasque mulieres. Quæ secum trahit consecraria
magis minùsve matri timenda sunt, pro causarum naturâ &
agendi normâ, pro functionum læsionis gradu, pro denique
gestationis articulo.

Si variæ sint causæ quæ promovent abortum, non variæ mi-
nùs afferuntur amovendi rationes. Generatim cùm judicatur
imminere prægnanti occasione percussione, lapsûs aut cujus-
cumque violentiæ externæ, imò vel dispositionis internæ, in
cubili fœmina collocetur non ad dies novem pro matronarum
more, sed quamdiù requirent accidentia; ipsi quies religiosissima
præscribatur; victûsque ratio assignetur circumstantiis congrua:
exulent ab eâ longè quæcumque animi pathematum irritamenta;
abstineat ab aperitivis, diureticis, excalfactoriisque remediis. Si
sanguine abundet, si inflammatoriæ locus sit obstructioni, si
contusionis consecrariis præeundum sit, aut semel aut iterùm
sanguis ipsi mittatur, consultis profectò corporis temperatione
& accidentium naturâ. Si per vulvam sanguinem profundat,
utatur potu limoniis malis confecto aliove liquore acidulo &
frigido. Meritissimus actûs Præses sæpè sæpius imminentem
abortum amovit, sanguinisque profluvia & quidem non levia
stetit, adhibito de limonibus succo, alumini saxoso commixto.

Sanguinis eductio vel purgativa minorativa remedium sint
plethoræ prout sanguine vel humoribus excedit; penuriæ aut

inediæ succurritur subministrando cibos qui primùm leves & ad concoquendum faciles viam solidioribus parare possint. Abstineant à coïtu aut saltem temperatissimè utantur novè nuptæ & non multùm robustæ mulieres.

Causas convulsionum investigandas accuratè suscipiat qui tutiùs media curatoria seligere voluerit; generatim in usum advocari solent sanguinis missio, vel è brachio vel è pede, pro parte primitivè affectâ, laxantia & antispasmodica.

Quantùm ad peculiare pulmonum, gastrici aliorumque viscerum affectiones, remediis opponantur earum naturæ & generi congruis. Hinc prægnantium tussim compescere à principio scopus sit, adhibitis videlicet remediis diluentibus, bechicis, sedantibus & quandòque catharticis.

Vomitus vel symptomaticus vel idiopathicus est. Si symptomaticus, minùs vulgò periculosus est; si verò idiopathicus, in adhibendis remediis curatoriiis ratio ducenda à causis ex quibus oritur. In diarrhæa & intestinorum torminibus enemata præscribantur emollientia vel anodyna, aut etiam, pro dato casu, minorativa. Inflammatæ vesicæ auxilio sunt sanguinis missiones & generalia remedia; urinæ retentæ catheterismus, &c.

Si sensibilis nimiùm, nimiùm irritabilis sit uterus, si rigidiores fibræ, induratioresque parietes extendi nequeant ultrà quemdam finem, nisi violenter irritentur & contrahantur (quod quidem abortum determinat), non sine fructu adhibueris potus diluentes & relaxantes, v. g. è vitulo aut gallo, sanguinis missionem, fatus emollientes super hypogastricam regionem, quin & semibalnea tepida.

Si è contrà fœminæ mollis sit corporis temperatio, fibraque relaxata, remedia indicantur tonica & corroborantia, modicum exercitium & semibalnea frigescentia.

Quid de fœtûs morbis, de majori fœtuum numero, de erroneâ prægnaone, de funiculi imbilicalis & placentæ vitiis? Hic cessere Magistri, opusque plerumque naturæ committendum.

Suprà commendatis remediis certâ cum prudentiâ adhibitis, de prægnaone non desperandum, abortusque sæpissimè præcaveri potest; præsertim si sanguis inconsultò non mittatur. Hæc autem si inutilia fuerint, horrendum è vulvâ si ruat sanguinis profluvium, & mater & fœtus in magno discrimine versantur. Tunc vel ipsa natura quandòque fœtum expellit; vel si expellendo sit impar, auxilium ab arte exoptulat. Contingere quidem potest ut frustra conatus utraque jungat; nempè cùm partes quibus officium est fœtui viam pandere, satis non dilatantur ut spontaneam ejus egressionem aut extractionem permittant. In usum tunc advocetur præscriptum à Domino *le Roux* obturamentum (1), quo sanguini moles opponatur. Contrà verò si dehiscat orificium uteri, fœtusque digito pervium se offerat, aut in collo intricetur; si prægnans hæmorrhagiâ nimium debilitetur, omniaque discrimen instantissimum clamitent, stultiùs ageret qui graviditatem prorogare vellet. Provocanda est quàm citissimè fœtûs egressio, vel digito, vel mucilaginosarum injectionum ope.

Obstant programmatis limites quominùs sigillatim recenseamus omnes abortûs causas & omnia curationis media; longè plura dicenda sentimus, sed multa prætermittere jubemur.

(1) Obturamentum, linteum aceto imbutum.

